# NVCERIA.

NVCERIA, Ptolomæo, Vmbrorum in Piceno vrbs. Hodie Nocera est, vt Leander ait, Plinio NVCERINI, sunt, quos FAVONIENSES & CAMVLANOS cognominari tradit, Volaterranus, Blondus, Leander & Niger scribunt ALPHATEMIAM etiam dictam ex Liuio. Sed ALPHATERNA apud Liuium legendum docet Sigonius ex Diodoro, Sed in Samnio ponit hanc Liuius. Alfaternorum etiam meminit Plinius. Hanc Nuceriam CONSTANTIAM appellat Antonius, Onuphrius NVCERIAM CONSTANTINAM COLONIAM vocat; huius meminit quoque C. V. Nansij codex M. S. Frontini. NVCERIA Colonia Ptolomæo, Straboni & Plinio, Campaniæ Picentinorum vrbs. Hodie Nuceria dei pagani, Leandro. Hanc Cicero ad Atticum non semel LVCERIAM nominat. Quatuor huius nominis vrbes habet in Italia Ptolomæus, quarum vnam in Apulia Daunia collocat, hanc etiam Neuceriam vocat cum Ptolomeo Suetonius. Sed LVCERIAM appellant vterque Plinius & Liuius, item Strabo; apud quem LEVCHERIA legitur, Stephano ex Polybio LVCARIA est, sine A in medio legit codex Polybij LVCRIA. LVCERIA DEI SARACENI Leandro nunc dicitur. Addit illi aliquando Diuæ Virginis Citta di S. MARIA nomen inditum, Sed pristinum nomen præualuisse. Quarta Nuceria Ptolomæi est in Gallia Togata, vbi hodie Riuo de Lusera est, vt putat Leander, qui hæc de Nicerano Vmbriæ oppido porrò commemorat: Nuceria ciuitas lateri Apennini adhærens, quam Nuceriam Strabo vocat, & à vasis ligneis commendat. Nuceria quoque Ptolomæo dicitur, Plinius Nucerinos Fauonenses memorat, Alfateniam olim cognominatam ait Blondus, idq; mihi ad differentiam aliarum Italiæ Nuceriarum videtur factum, est enim in Campania Felice altera, in Apulis tertia, quanquam illa verius appellari Luceria debeat, nimirum, vt ab hac Alfatenia, item à Campaniæ Nuceria nec non alia eiusdem nominis in Apennino, agro Mutinensi discernatur, quemadmodum Volaterranus scribit. Idem quoque contendit Alfateniam Vmbriæ ciuitatem ab hac Nuceria diuersam fuisse, prorsusque deletam. Ego credere ausim, aut hanc vrbem Alfateniam esse, aut illam loco saltem propinquo extitisse, vt euersæ nomen pòst huic Nuceriæ sit additum, quò ab cæteris eiusdem nominis internosceretur. Alfateniæ mentionem Liuius sępe facit, pręsertim cùm Liuium Consulem, ad eam obsidendam profectum, & oppidanos in populi Rom. potestatem redire coactos scribit. Propter montis, in quo Nuceria, radices Topinus amnis, Tinnam Plinius vocat, infimam vallem percurrit, cui inde Topinię nomen vsque Fulgineum. In Tinnæ ripis ingentes passim apparent ædificiorum ruinæ, fundamentaque maximorum operum, quę à Romanis ad tutelam Vię Flaminię facta quondam: ea enim hac secundum Tinnam P. M. XII. emetiuntur. Ista hactenus Leander.

# CASTELLVM NOVVM.

CASTELLVM NOVVM, in Appennino oppidum, via, quę ad vrbem Romanam ducit, cuius incolę naui & industrij, pręsertim in lanę, vini, ac olei negotiatione. Fertili namque est agro, partim campestri, partim collino, ex quo ruralis negotiationis occasio, qui frumētum, vina, oleum, cęteraque ad vitam necessaria, copioso prouentu profert. Duodecim milliaribus ab Vrbe Romana distans, impositum vię Flaminię, quod Antoninus illo itinere, & nomine Castri noui recenset, vbi vię strate pars cum vestigijs quibusdam & ruinis ædificiorum supereſt, Nunc Portam primam vocant. Sequitur secundo Tiberi pons Miluius, quo via Flaminia per amnem iuncta, primusque datur in Latium & suburbia Romana ingressus. Eadem hac via Ciuitas Castellana præcelsis in rupibus occurrit, quam quidā Veiorum fuisse Vrbem à Romanis decennio obsessam, propter munitissimum loci situm arbitrantur. Quod tamen Leander, ex situ loci, refutat. Ad lęuam Mons D. Syluestri se offert, quem Cato, Vergilius, & Strabo, Montem Soractem vocant, Sacer olim Apollini habitus. Mons D. Syluestri postea dictus, quòd in eo Sylvester Pontifex, metu Constantini Imperatoris latitauerit.